GUILLERMI FICHETI

PARISIENSIS THEOLOGI

QUAM AD

ROBERTUM GAGUINUM

DE

JOHANNE GUTENBERG

ET

DE ARTIS IMPRESSORIAE IN GALLIA PRIMORDIIS

NEC NON

DE ORTHOGRAPHIAE UTILITATE

CONSCRIPSIT

EPISTOLA

AD EXEMPLAR UT VIDETUR UNICUM
IN AEDIBUS SORBONAE ANNO MCCCCLXXII IMPRESSUM
NUNC IN BIBLIOTHECA BASILIENSI ASSERVATUM

DENUO EDIDIT

LUDOVICUS SIEBER

UNIVERSITATIS BASILIENSIS BIBLIOTHECARIUS

BASILEAE

EX TYPOGRAPHIA SCHWEIGHAUSERIANA

MDCCCLXXXVII

v 1, Printing — France — Paris
v 2. Same (Gutenberg —)
3. " (Gaguin —)

1 = Res.

VIRIS DOCTISSIMIS HUMANISSIMIS CELEBERRIMIS

EDUARDO HAGENBACH

PHYSICO

ET

AUGUSTO SOCIN

MEDICO

BIBLIOTHECAE ACADEMICAE BASILIENSIS
CURATORIBUS

AMICIS DULCISSIMIS

DIE XXI FEBRUARII A. MDCCCLXXXVII

QUINQUE LUSTRA

IN PROFESSORIO MUNERE FELICISSIME ET
FRUCTUOSISSIME PERACTA

CUM PLAUSU PUBLICO CELEBRANTIBUS

SACRUM

GUILLERMUS FICHETUS,

Parisiensis theologus doctor,

ROBERTO GAGUINO,

viro doctissimo,

salutem.

Magna me voluptas capit, eruditissime Roberte, quum Musas et omnes eloquentiae partes, quas prior aetas ignoravit, in hac urbe florere conspicio. Nam ut me primum adolescentibus annis Boico ex agro Lutetiam contuli, idque Aristoteleae disciplinae causa, mirabar sane oratorem aut poetam phoenice rariorem Lutetia tota inveniri. Nemo Ciceronem, uti plerique nunc faciunt, nocturna versabat manu, versabat diurna; nemo carmen fingebat legitimum; nemo fictum ab alio caesuris noverat librare suis, desuefacta siquidem a latinitate schola Parisiensis ad sermonis rusticitatem omnis paene deciderat. At lapillo longe meliore dies nostri numerantur, quippe quibus di deaeque omnes, ut poetae loquuntur, bene dicendi artes in dies magis magisque aspirant; siquidem, ut missos faciam alios, tu usque adeo Musis et omni carminis genere praestas, ut

si non solum illi quidem vates nobilissimi, Tibullus,
1 b Lu|cretius, Horatius, Naso, Statius, Lucanus, Martialis, Persius, Juvenalis, sed etiam longe princeps Virgilius ab Elysaeis campis ad nos remearent, profecto tuum carmen suum esse arbitrarentur. Quid enim Maroni tuo carmine similius, quod de Ludovico rege nostro fortissimo proximis diebus cecinisti? Quid illo quadratius, quod dialogorum instar unum aut alterum effinxisti? Taceo civitatis Pariseae laudes, quae adeo sunt a te verborum venustate et sententiarum gravitate refertae, ut utrum utri laude praeferatur judicare sit difficile. Praetereo, quae de Galliae Hispaniaeque praestantia soluta oratione scripsisti. Non enim est hujus temporis de tuis studiis praesertim ad te scribere. De studiorum humanitatis restitutione loquor. Quibus, quantum ipse conjectura capio, magnum lumen novorum librariorum genus attulit, quos nostra memoria, sicut quondam equus Troianus, quoquoversus effudit Germania. Ferunt enim illic haud procul a civitate Maguntia Joannem quendam fuisse, cui cognomen Bonemontano, qui primus omnium impressoriam artem excogitaverit, qua non
2 a calamo, | ut prisci quidem illi, neque penna, ut nos fingimus, sed aereis litteris libri finguntur, et quidem expedite, polite et pulchre. Dignus sane hic vir fuit, quem omnes Musae, omnes artes omnesque eorum linguae, qui libris delectantur, divinis laudibus ornent, eoque magis dis deabusque anteponant, quo propius ac praesentius litteris ipsis ac

studiosis hominibus suffragium tulit, siquidem dei-
ficantur Liber et alma Ceres, ille quippe dona
Lyaei invenit poculaque inventis Acheloia miscuit
uvis, haec Chaoniam pingui glandem mutavit arista,
atque, ut poeta utamur altero, prima Ceres unco
glebam dimovit aratro, prima dedit fruges, alimenta
mitia terris. At Bonemontanus ille longe gratiora
divinioraque invenit, quippe qui litteras eiusmodi
exculpsit, quibus quidquid dici aut cogitari potest,
propediem scribi ac transcribi et posteritatis man-
dari memoriae possit. Neque praesertim hoc loco
nostros silebo, qui superant iam arte magistrum,
quorum Udalricus, Michael ac Martinus principes
esse dicuntur, qui iam pridem Gasparini Pergamensis
epistolas impresserunt, quas Joannes Lapi|danus 2 b
emendavit, quin illius auctoris orthographiam, quam
hic etiam accurate correxit, se accingunt perficere:
opus mea quidem sententia egregium neque auribus
solum juventutis gratissimum, sed doctiorum quoque
studiis opportunum. Non enim, quod pace multo-
rum dictum esse velim, res est orthographia fructu
parvo ac tenui, verum praegrandi, gratissimo, ap-
prime necessario et jocundo, siquidem recte scri-
bendi ratio, quam orthographiae sonat interpretatio,
nobis in omni lingua, graeca, latina vernaculaque,
suffragatur, qua sine nil emendate ac pure scribi,
nil legi, nil nisi contorte efferri possit. Quotum
enim quemque, sive grammaticum, sive oratorem,
sive philosophum excelluisse invenias, qui non huic
divinae arti majorem in modum studuerit? Nempe,

ut hinc incipiam, Didymus cum omnem, tum hanc grammaticae partem libris quam plurimis exornavit, quo fit, ut omnibus artis grammaticae professoribus, qui quidem essent ac fuissent, Macrobius eum jure praetulerit. Nigidius quoque, cui Figulo fuit cognomen, Auli Gellii sententia secundum Marcum Varronem locum est consecutus. Cur ita? Nimirum,
3 a qui multus in orthographiae praeceptione | fuisset. Quid Antonius Gnipho? Profecto tantus huic est habitus honos vel ab ipso Marco Cicerone, ut etiam illius scholam post exactum forensem laborem hic studiose frequentaret. Hygini quoque grammatici magnum fuit in exponenda recte scribendi scientia studium, utpote qui Romae multa scripsit et docuit. Sed, ne forte in re tritissima sim longior, mitto Valerium Probum, Scaurum, Annaeum, Cascellium, Terentium, Cornutum et alios illius superioris aetatis quam plurimos, qui et ipsi grammatici et recte scribendi studiosi fuerunt. Proximiores et minus antiquos non dicam, Diomedem, Donatum, Servium, Victorinum, quos equidem grammaticosne, an philosophos potissimum dicam nescio. Illud certo scio, non grammaticen modo, sed et rhetoricen et philosophiam eximiae laudi omnibus fuisse. Verum, quandoquidem [in] oratores et philosophos incidimus, ex his paucos et principes testimonio nobis asciscimus. Marcus etenim Tullius, quem principem suae linguae latinus quisque esse voluit, non apposite tantum singula scripsit, sed et ipse quoque
3 b per epistolam filium ammonuit, | ut emendatae scrip-

tionis artem perdisceret. Caii Caesaris itidem extant de analogia libri. Cuius Caesaris? Eius qui cum in omni re maxima, et forensi et bellica, praeter caetera gloriam perquisivit, tum in hac parte una et maxima curiosissimus indagator esse voluit, et quod voluit, attigit, et quod attigit, cum forensibus bellicisque laudibus mandavit posteritati. Messala, cuius laudis causa meminit Horatius, non impolitus litterarii ludi scriptor, effloruit. Nam praeter fori gloriam, quae ne par quidem in quoquam aequali suo fuit, scite scribendi praecepta conscripsit, quin de nonnullis litteris integros libros confecit. Marcum etiam Varronem, quem sine dubitatione doctissimum Cicero dixit, ex hac doctrina ingens gloria secuta est, et eo quidem ingentior, quo rem omnem altius fodicando funditus pertigit. De C. Basso, Fabio Quintiliano Plinioque tacere consilium est, qui non minus propter hanc, de qua loquimur, scribendi sapientiam sapientissimi sunt habiti, quam ob eloquentiam et alias artes multas et bonas, quibus eorum quisque excelluit. Sed ego quid oratores philosophosque commemorem?
Utique in hoc genere | laudis infiniti succurrunt me- 4 a
moriae, quos non nisi invitus praetereo. Praetereo Papirianum, qui superioris cuiusque praecepta unum in opus artificiose contexuit. Aulus etiam Gellius omitatur, cuius tantus in hac re fuit conatus, immo superfuit, ut ab eo nullae vel minutissimae fibrae relinquantur intactae. Aequalis Gellii Favorinus sileatur, quem doctissimum fuisse scribere

Gellius haud dubitavit, neque Sergius, neque Herodianus, neque latinus quisquam, sive grammaticus, sive orator, sive philosophus a me deinceps dicatur. Quid de Graecis inquies? Vereor, ne fortassis eorum fontes illibatos praeteriens non degustatione dignos videar judicasse, contraque si vel extremis labris attigero, praeter modum evagari ac nescio si rectius dicam debacchari videatur oratio. Itaque modestiae malim, quam loquendi licentiae morigerari, ne si vel Aristotelis, vel Theodectis, vel Porphyrii, vel Appollonii, qui gloriosissime hanc etiam partem aspexerunt, velim exemplis nos hortari, ipsa verborum longitudine potius ipse dehorter. Quas ob res abunde colliquescit, quod initio con-
4 b stitui, neminem unquam vel de grammaticis, | vel de rhetoricis, vel philosophorum institutis bene meritum extitisse, qui non magnopere scribendi doctrinae incumberet. Neque aliunde plures errores ne graviores quidem, in litteris, in poetis, oratoribus, historia, medicinis, jure civili, sacris litteris, quavis denique philosophiae particula crediderim emersisse, quam ex unius orthographiae et appositae scriptionis ignoratione. Quocirca magis aetati nostrae, quam superiori quidem illi congratulor, quandoquidem video cum studiis, tum libris artificiose scribendi dicendique scientiam assecutum iri quam plurimos, neque nomen, quod longe lateque volitet per orbem, defore quibusque nostris hominibus, modo ipsi sibi non prius defuerint. Vale et epistolae longitudinem tribue amori nostro

quam maximo. Aedibus Sorbonae raptim a me kalendis Januariis diluculo scriptum.

Eiusdem doctoris in superiorem epistolam metrica superscriptio.

Jane pater, ferto nunc munera nostra Roberto
Uni, qui Musis felix eat omnibus aevis.

Patri et praeceptori suo, 5 a

GUILLERMO FICHETO,

theologo doctori,

ROBERTUS GAGUINUS,

de ordine Sanctae Trinitatis et Captivorum,

salutem plurimam dicit.

Quos luteos homines finxit natura deauras
Et facis eloquio, clare Fichete, deos.
Te digne extulerit praeclara Lutetia caelo,
Cui tua rectiloquos lingua diserta parit.
Quae fuit obscura sterili ruditate loquendi,
Fulgida nunc radiis arte polita micat.

Pulverulenta situ et squalore volumina longo
Exiliunt tenebris en revoluta suis.
Per cathedras Cicero, verbi pater, intonat acer
Et veterum mille nomina lecta virum,
Quos equidem, si sensa animos retinere putandum est,
Gratari inter se nunc tibi, crede, juvat.
Magnum autem est fama et pulchrum memorarier actis,
Quae probet et coelum, quîsque levetur humus.
Qui veniet posthac puro sermone latinus,
Esse tuis domitum se feret auspiciis,
Inque sacros aditus, quod semper Graecia fecit,
5 b Dicendi appinget philosophia decus.
Ergo eris in nostris, quod Achivis ille Prometheus,
Qui terrae obstrictos igniit arte viros,
Sive opifex hominum, qui duris cotibus auras
Indidit, illa iubens vivere, Deucalion.
Gaude igitur, doctor, habiturus nomen in aevum,
Gaguinumque magis usque benignus ama.

Vale, ex Maturinis primo die Januarii.

EPILOGUS EDITORIS.

En habes, benevole lector, typis denuo expressam Guillermi Ficheti Parisiensis epistolam, antiquissimo de *Johanne Gutenberg*, artis impressoriae inventore, testimonio historico insignem. In edendo hoc rarissimo opusculo presse secuti sumus archetypum in bibliotheca academica Basiliensi asservatum, qui unus superesse videtur. Hoc tamen te monitum volumus, et orthographiam et interpunctionem ad nostri temporis consuetudinem esse accommodatas. Igitur *heliseos* campos in Elysaeos, *lieum* in Lyaeum, *iginum* et *hystoriam* in Hyginum et historiam, *didimum*, *tibulum* et *gelium* in Didymum, Tibullum et Gellium, *luteciam* et *maguntiam* in Lutetiam et Maguntiam, ut alia hujus generis taceam, mutare visum est. Menda vero manifesta erroresque typographicos, qui in archetypo ad exemplum haud dubie male exaratum impresso passim occurrunt, in hac nova editione hominibus non tam philologis, quam litterarum curiosis destinata corrigere haud dubitavimus; ita factum est, ut Antonius *empho* et *Messale* evaderent Antonius Gnipho et Messala, ut *scaulus*, *annous*, *cassellius* transformarentur in Scaurum, Annaeum, Cascellium

et pro *quidam* equus Trojanus, pro *litteram ludi* ex conjectura scriberetur *quondam*, *litterarii* ludi. Restat, ut Ficheti epistolam diligentius cognoscere cupientes ad libros nonnullos delegemus, in quibus quae scitu digna sunt facili negotio invenient, quorum tituli hi sunt:

Jules Philippe, Origines de l'imprimerie à Paris (p. 172),

Centralblatt für Bibliothekswesen (2, p. 86),

Antonius von der Linde, Geschichte der Erfindung der Buchdruckkunst (p. 732. 925).

Verum haec satis sunto. Vale felix, candide lector, et Nestoreos vive in annos!


IHS
AD·P·